

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot
Eruditorum desideriis adhuc expetitur

**Chemnitz, Martin
Leyser, Polycarp
Gerhard, Johann**

Hamburgi, MDCCIII

VD18 90617681

Caput XC. Continens Historiam, Quomodo Jesus Latenter Galilaeam
Transiit, Et De Passione Sua Concionatus Sit. Matth. 17. v. 22. Marc. 9.
v. 30. & Luc. 9. v. 43.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18203

& disputare poterant, utrum etiam Apostoli seu verbi ministri eos sanare queant. Sed, utut sit, piorum ministerio & opera sunt adducendi ad Christum, cui nullum, quantumvis grave & in naturam verum malum est immedicabile. Ad Christum autem adducti, conturbari & dilaniari incipient, exorta nimirum lucta inter spiritum & carnem, illo respicere cupiente, hac ad solita vitia ipsum revocante. Verum hac lucta nihil moti,

apud Christum perdurent; fide, precationibus & jejunio cum vitis certent, omnipotenti Christi manu sic curabuntur, ut peccato & mundo mortui ad novitatem vitæ relurgant. Christi autem manu erecti ipsi quoque surgant, hoc est, iustitiam vivere incipiant, & caveant, ne gratiam DEI in vanum receperint. 2. Cor. 6. vers. 1.

CAPUT XC.

CONTINENS HISTORIAM, QUOMODO JESUS LATENTER GALILÆAM TRANSIERIT, ET DE PASSIONE SUA CONCIONATUS SIT. MATTH. 17. v. 22. MARC. 9. v. 30. & LUC. 9. v. 43.

RATIO ORDINIS.

DE ordine horum ad præcedentia nulla potest esse quaestio, cum omnes tres Evangelistæ in ordine consentiant. Post sanationem enim Lunatici, turbæ ad memoriam sibi revocantes omnia CHRISTI miracula, ceperunt gloriosius de ipso prædicare. Sed Christus relictis turbis, cum solis Apostolis, per Galilææ loca celeriter, latenter, & quasi in transcurso

(ea est enim emphasis verbi *καπερναύεω*) Capernaum usque transibat. Appropinquante enim tempore passionis, hoc est, summæ exinanitionis, externam celebritatem fugit, ut sic omnia ad exinanitionem convenirent. Illum etiam secesum ideo delegit, ut Apostolos in eo mature de passione instituere posset, quos illo vulgi applausu delectari videbat. Proinde ipsis rursus de passione sua concionatur.

HISTORIA TRANSITUS PER GALILÆAM, ET CONCIO DE PASSIONE CHRISTI.

MATTH. 17.

22. Αναστρεφόμενων ἡ αὐτὸν ἐν τῇ γαλιλαίᾳ, εἶπεν αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς· μέλλει ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου παραδίδοσθαι εἰς χεῖρας ἀνθρώπων.
23. Καὶ σκοπεύουσιν αὐτὸν ἐν τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ ἐγερθῆσεται. Καὶ ἐλυπήθησαν ὡς ὄφρα.

22. Cum autem versarentur in Galilea, dixit illis Jesus: Futurum est, ut filius hominis tradatur in manus hominum.
23. Et occidetur eum, ac tertio die resurget. Et mirati sunt vehementer.

MARC. 9.

30. Καὶ ἐκεῖθεν ἐξελθόντες παρεπερεύοντο διὰ τῆς γαλιλαίας, καὶ οὐκ ᾔδειν, ἵνα πᾶς γινῶσκει.
31. εἶδον αὐτὸν καὶ οὐκ ᾔδειν, ἵνα πᾶς γινῶσκει. εἶδον αὐτὸν καὶ οὐκ ᾔδειν, ἵνα πᾶς γινῶσκει. εἶδον αὐτὸν καὶ οὐκ ᾔδειν, ἵνα πᾶς γινῶσκει.
32. Οἱ δὲ ἠγνόουν τὸ ῥῆμα, καὶ ἐφοβῶντο αὐτὸν ἐπερωτήσασθαι.
33. Καὶ ἦλθεν εἰς καπερναὺμ.

30. Et illinc digressi iter fecerunt per Galileam; nec volebat, ut quisquam sciret.
31. Docebat enim discipulos suos, & dicebat illis: filius hominis tradetur in manus hominum, & occidetur eum, & occisus tertio die resurget.
32. At illi ignorabant verbum, quod dixerat, & timebant eum interrogare.
33. Et venit in Capernaum.

LUC. 16.

43. Πάντων τῶν ᾄσματων ὅτι πάντων οἷς ἐπέστησεν, εἶπε πρὸς τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ.
44. Ἴδετε νῦν εἰς τὰ ὦτα ὑμῶν τὰς λόγους τούτους, ἵνα οὐκ ᾔδειτε ὅτι ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου μέλλει παραδίδοσθαι εἰς χεῖρας ἀνθρώπων.
45. Οἱ δὲ ἠγνόουν τὸ ῥῆμα τοῦτο, καὶ οὐκ ᾔδειν, ἵνα πᾶς γινῶσκει. εἶδον αὐτὸν καὶ οὐκ ᾔδειν, ἵνα πᾶς γινῶσκει. εἶδον αὐτὸν καὶ οὐκ ᾔδειν, ἵνα πᾶς γινῶσκει.

43. Sed omnibus mirantibus super omnibus, quæ faciebat, dixit ad discipulos suos.
44. Ponite vos in auribus vestris sermones istos. Filius enim hominis futurum est, ut tradatur in manus hominum.
45. At illi ignorabant verbum istud, & erat absconditum ab illis, ut non intelligerent illud. Et timebant eum interrogare de hoc verbo.

HAR-

HARMONIA HUIUS HISTORIAE EX TRIBUS EVANGELISTI CONCINNATA.

β και εκειθεν εξελθόντες παρεπρέοντο Δαλαζογαλιλαίας, κ' ουκ ηθελεν, ινα τις γνωσ' εδιδασκεν οδου μαθηται αυτου. Αδνασρεφορμυζον η αυτη ου τη γαλιλαια, c και παντων τ' ηνωμα' οντων οπι πασιν οις επιησειν, λειπεσθεσ οδου μαθηται αυτου, α ο ιησους: c ηρατε υμας εισαυτα υμων οδου λογους τας, Ιο γδ υος εσ' αυθραωπα μελλει παρδιδοδοσθαι εις χειρας ανθρωπων, c και δποκτενοσθαι αυτην, β κ' δποκ' ανθεισ ε τη τριτη ημερα ανασησεται, η οι η γρον c τ' ηρημα τ' ου, κ' λε' οδρα κεκαλυμμενον απ' αυτου, ινα μη ανδρωπη αυτου. η και ερωτησεν ερωτησεν αυτου, c περι τα ρηματα ου ταυτα. α και ελυπηησεν ο σφοδρα, β και ηλθεν εις καπερναουμ.

b Et illinc digressi iter fecerunt per Galileam, nec volebat ut quisquam sciret. Doccebat enim discipulos suos. a Versantibus autem illis in Galilea, c & omnibus mirantibus super omnibus, quae faciebat, I dixit ad discipulos suos a Jesus: c Ponite vos in auribus vestris sermones suos a Jeso: I Filius enim hominis futurum est, ut tradatur in manus hominum, e & occidat eum, b & occisus e tertio die resurget. h At illi ignorabant verbum c illud, & erat absconditum ab illis, ut non intelligerent istud. h Et timebant eum interrogare c de hoc verbo. a Et merore affecti sunt vehementer. b Et venit in Capernaum.

Periocha hujus Historiae.

Apparet ex circumstantiis, quod Christus aliquantisper voluerit in Galilaea versari, ut sic occasione haberet rectius discipulos instituendi, & monendi de passione & morte, antequam ad eam sustinendam abiret Hierosolyamam, ubi semetse integrum agitantur consilia de ipso occidendo. Sed postquam turbæ incipiunt magnificentius de ipso prædicare, ipse inde digressus cum Apostolis per Galilæam latenter iter facit versus Capernaum. Quasi reipsa dicere vellet: Jam quidem omnes mirantur, & summis me laudibus vehunt: sed mox postulabunt me ad erucem. Fidat ergo turbæ, qui decipi vult. Vos vero ne turbemini; nec cum illis deficiatis, percipite hosce sermones, quos de passione, morte & resurrectione denuo vobis inculco. Eos ponite in auribus vestris, hoc est, diligenter auscultate, memori mente retinere, ut aliquando per aures in cor usque penetrent. Illis cogitationibus potius intendite, quam ut mobilis turbæ præconio attendatis. Parate itaque vos ad crucis humiliationem. Non enim ista instabilis vulgi admiratio solida nostra gloria est: sed alia, & ea quidem per crucem ad eunda. Hæc cogitatio vos præservabit à scandalo. Sic vero Christus docet, quando animus titillatur vulgi admiratione, tum ei opponendam esse ejusdem infidam instabilitatem, & potius in auribus ponendam esse meditationem doctrinæ de cruce. Multi verbi ministri inveniuntur, qui omnia sua dicta & facta eo dirigunt, ut vulgi applausum obtineant. Hoc si desituantur, animo anguntur, & omnem ministerii sui fructum perire autumant. Alii, quando turbæ favorem obtinuerunt, tum se solide beatos esse opinantur. Ultrique errant. Illi quidem, quod habet Gal. i. v. 10. Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem. Hi vero, quod ne quidem mundanorum hominum judicia de instabili populari aurâ observant. Poeta dixit:

Fallimur & fallit, vulgi qui pendet ab ore. Hei nihil injustæ sæs quæquam fidere turbæ. Et alius: Si turbare velis tibi quietem, Turbam consule, turba turbulenta est. Inturbata sit ut quies, studere Turbe cadere multitudinibus.

Harm. Tom. I.

Faciat verbi minister officium suum fideliter & diligenter, docendo, monendo, arguendo, consolando, exhortando, & unice studeat gloriæ Dei, & Ecclesiæ ædificationi, tum Deus ipse bonorum favorem ipsi conciliabit, ne in mundo sine amicis vivat. Crucis autem & adversorum meditatio in mediis favoribus hominum prodest, ne animis efferamur. Christus hic jam tertia vice de passione & resurrectione sua concionatur. Fecit id primum post editam à Petro fidei confessionem. Deinde, cum ex monte descendens, discipulis interdiceret, ne clarificationem divulgarent ante resurrectionem. Nunc tertio idem repetit, non tantum propter se, ut crebra passionis & mortis suæ meditatione seipsum ad patientiam exerceat: sed potissimum propter Apostolos, qui quoties vulgi applausum ex Christi miraculis oriri videbant, toties statim carnale regnum sibi imaginabantur, seque in hoc mundo dominaturos sperabant. Ab his mundanis cogitationibus ut Christus ipsos abstraheret, de passione & morte sua frequenter concionatus est. Ne tamen animum nimium abjicerent, addidit de resurrectione sua. Ut quemadmodum mortis meditatio eos intra metas modestiæ cohiberet, ne ob vulgi applausum animo efferrentur: Sic spes resurrectionis eos animaret, ne ob adversa animum desponderent. Hoc nos imitati discamus. Quando Ecclesia floret, & lætis successibus omnia nobis arident, tum meminerimus eorum, quæ de persecutionibus & cruce piorum in Scripturis sunt prædicta. Rursus inter adversa & tribulationes nobis in memoriam revocemus promissiones, quæ Deum perpetuam Ecclesiæ suæ curam habere docent. Sic fiet, ut nec in prosperis rebus efferamur, nec in adversis desperemus: sed in omnem eventum parati, Deo res nostras committamus, eique firma fide adhareamus.

II. Admirationem non immerito nobis præbent Apostoli suo stupore, quod verba, quibus Christus passionem suam prædicebat, & quæ clarissima erant, non intelligebant. Nominat filium hominis, & quod per eum suam ipsius personam denotaret, non ignorabant. Hunc occidendum testatur: & quid esset occidere, non novisse non poterant. Occisum autem tertio die resurrecturum, arguente ad vitam editurum dicit: quod quid esset, vel septennis

O o o

septennis

Septennis puer intelligeret. Et tamen *verbum hoc absconditum erat ab Apostolis*, qui orbis Doctores esse debebant. Ratio hujus ignorantia nulla alia, quam hæc fuit, quod hæc verba præconcepta ipsorum opinioni repugnarent. Apostoli ex præversa Pharisaorum traditione mundanum Messia regnum sibi imaginabantur, in quo ipsi, tanquam fideissimi Messia comites & parastata, primas obtenturi essent. Sicuti mox in hoc ipso itinere de primatu disputare incipiunt. Quando ergo Jesus suam ipsis passionem & mortem inculcavit, ingrata fuit concio, & non tantum non intelligebant, sed etiam *vehementer mærore afficiebantur*. Nimirum, quia uno ictu omnes ipsorum magnæ spes de dominandi dignitate & auctoritate abscedebantur. Sicuti Luc. 24. v. 21. duo euntes in Emaus hunc animi mærorem fassi sunt, dicentes: at nos sperabamus ipsum Israel redempturum. Si autem crucis mysterium intellexissent, potius læticia quam mærore affecti fuissent. Sicuti Joan. 14. v. 28. ipsis dicit: si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem. Nam expedit vobis. Si enim Ego non abiero, paracletus non veniet ad vos. Joan. 16. v. 7. Idem hodie fit in multis doctrina Christiana articulis, in quibus interdum ob præconceptas opiniones cœcutiunt etiam magni viri, qui tamen ob sui evidentiam ab idiotis planissime intelliguntur. Idem talibus accidere solet in sacris, quod accidit in communi vita iis, qui coloratis utuntur conspiciis. Quæcunque per illa intuentur, ea omnia eundem colorem induisse videntur, quo colore imbuta sunt conspiciis. Evenit hoc non tantum Pontificiis & Calvinianis, in illis Articulis, qui inter nos & ipsos sunt controversi, sed etiam nostratibus quibusdam. Quicunque de libertate Christiana carnalem opinionem fovent, sibi que apud Evangelii professionem omnia læta pollicentur: illi, quicquid ipsis prædicaveris de mortificatione carnis, de hominis innovatione, de cruce & afflictionibus piorum, tantumdem intelligunt, quantum Apostoli hic concionem de passione Christi. Recte itaque D. Hilarius lib. 4. de Trinit. hanc regulam tradidit. Optimus lector & auditor verbi divini est, qui dictorum intelligentiam expectat potius, quam importat: & retulerit magis quam attulerit. Neque cogit id videri dictum contineri, quod ante lectionem præsumferat intelligendum.

III Præter crassam hanc Apostolorum ignorantiam, notemus etiam supinum illum & reprehensione dignum ipsorum torporem, quo, cum sermones Præceptoris non intelligerent, ipsum *interrogare timerent*: quem tamen totum in eo esse animadvertent, ut plena veritatis cognitione ipsos instrueret. Atqui alias sæpenumero inquisiverunt, de rebus nihil ad se pertinentibus: & hic præpostero quodam pudore & metu præpediti, non interrogant de illis rebus, in quibus propria puppisque salutis ipsorum consistebant. Nimirum exemplo Petri (quod superius habuimus) terri, metuerunt, ne acrius corripentur. Est enim hoc perversum carnis nostræ ingenium, quod errare aut in ignorantia versari mavult, quam justas correptiones admittere. Quas tamen in hoc ipso negotio Apostoli non evitarunt, ut videre est Marc. 16. v. 14. & Luc. 23. v. 25. Nos, quamdiu in vitæ hujus tenebris moramur, non pudeat quotidie filium Dei in Scripturis nobis loquentem adire, eumque audire. Etsi maxime interdum ob tarditatem nostram nos acriter corripiat: tamen cum Davide dimus ex Psal. 141. v. 5. Corripiat me justus placide, & oburget me, hoc erit oleum ad caput meum. Sic Dominus per Spiritum suum nos ad omnis veritatis cognitionem inducet.

IV. Denique & illud observatione dignum est, quod verba illa *in auribus* Apostolorum conservata, licet tunc non intelligebantur, suo tamen tempore fructum attulerunt. Auctor vulgatæ versionis, quia judicavit verba *in auribus*, nihil prodesse, vertit, *ponite in cordibus vestris*. Sed nostrum opus est Christi verba corrigere. Studiose Christus noluit dicere in cordibus: quia vidit tum temporis Apostolos ista non intelligere. *In auribus* tamen ipsorum personare voluit. Quia quæcunque fidelibus traduntur auribus, & memorimenter retinentur: suo tamen tempore se exerunt, & fructum edunt. Sicut enim semen in terram jactum, non statim enascitur, neque è vestigio fructum affert, sed sensim fructificat, primum herbam, deinde spicam, & denique plenum frumentum profert, Marc. 4. v. 28. ita verbum Dei instar seminis intra sulcos aurium susceptum, sensim in cor penetrat, & in eo asservatum suo tempore fructum fert, ad Dei gloriam, & proximi utilitatem.

CAPUT XCI.

CONTINENS, QUOMODO JESUS CAPERNAUMI CENSUM PRO SE ET PETRO SOLVERIT,

MATTH. 17. v. 24.

RATIO ORDINIS

Post illam Galilææ peragrationem, appropinquante festo tabernaculorum, reversus est Jesus Capernaum. Et in itinere illo agitata fuit inter Apostolos quaestio de primatu: de qua capite sequenti. Cum vero ingrederetur Capernaum, quia per dimidium fere annum non multum ibi fuerat,

exactores census ipsum quidem Christum reverentia causa non audent interpellare, Petrum tamen, qui civis erat Capernaiticus, seorsim compellant. Petrus ita respondet, ut colligi inde possit, etiam ante solitum fuisse Christum didrachma solvere. Caterum, quia videri poterat, cum spe redemptionis per Messiam futura

pugna-